

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1035
27



ORATIO

IN FVNERE FRATRIS HIERONYMI SERIPANDI EREMITANI CARDINALIS AMPLISSIMI,

HABITA BONONIAE IN AEDIBVS DIVI IACOBI,

à F. Aegidio Marchesinio Dominicano Bonon. Lectore, IIII. Nonas Aprilis.







BONONIÆ,

Excudebat Ioannes Rubeus, auspice Mercurio. 1563.

REVERENDISSIMO, AC ILLVSTR.^mo DOMINO D. IOANNI MVGNATONES Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Episcopo Segorbicensi, Patrono suo colendissimo.

F. GVLIELMVS BONONIENSIS eiusdem Ordinis.

S. P. D.



ANTVS fuit erga Illustrissimum HIERONYMVM Seripandum amor meus, vt eum quàmdiu inter homines vitam egit summa semper obseruantia, & pietate coluerim, & eundem postquàm ad superos abiit, non summoperè amare non possim; Et quoniam eius iam vitæ nihil prodesse queo, illius famæ, quod possum, consulere enitar. Hinc factum est, vt eius laudationem, quæ hic in funere illius habita est, ab Aegidio Sodali Dominicano auctore, in primisq; mihi amico, quasi vi extorserim. Nam cùm ego incredibili quadam cupiditate arderem, vt ea oratio in publicum prodiret, quo tanti viri laudes nulli non innotescerent; contraq; ille recusaret, quòd diceret eam non sibi dignam videri, quæ in doctorum virorũ manus perueniret, nec a se eo consilio habitam esse, vt

vnquam ederetur; tandem multis precibus euici, vt eam mihi traderet, ac quicquid illa facere vellem, mihi permitteret, eam ego continuò Typographo excudendam detuli, tuoq́; nomini, cui mea omnia accepta refero, dicaui, ratus hoc tibi munusculum non ingratum fore, propter singularem tuam in ipsum Seripandum beneuolentiam, ac vitæ studiorumq́; similitudinem, necnon ipsi auctori satisfacturum, si ea sub tui nominis tutela edita esset. Quare sanctissime Præsul summopere abs te contendo, vt hoc quicquid est, cõplectaris solita illa tua benignitate quam in me semper ostendisti, præcipuè verò eo tempore quo Tridentũ venisti, ob visitandum Reuerendissimum Seripandũ tunc Generalem Ordinis nostri Magistrum, quod si abs te factum intellexero, tantam eo nomine a me inibis gratiam, ut post hac nihil esse possit, quod me tibi debere non profitear. Dat. Bonon. XI. Cal. Iulii. M D LXIII.



IDEO V. B. uósq; Augustinianæ religionis patres, misero casu mæstissimi, tantum me oneris hodie pro concione sustinere, ut uerear ne cùm de re mihi proposita orationẽ habere cœpero, tùm uel doloris quẽ ex funere præsenti maximũ capio, acerbitate succumbam, uel grauissimo sapientiæ uestræ iudicio, ex spe dicendi deturbatus, cùm per exigua orationis copia sit elargita, deficiam. Nam quis unquã satis lachrymabilẽ HIERONYMI SERIPANDI Cardinalis Amplissimi, Eremitanæq; familiæ solis splendidissimi obitum deploret, sibiq; à lachrymis temperet, ubi plurima maximaq; præstãtissimi uiri in Rempub. Christianam, merita, uel animo suo uersauerit, uel ea me recensentem audierit? Quis cùm tantarum uirtutum monimenta nobis erepta esse senserit, non miserrimè ferat, non uehementissimè doleat? Quis præterea quantauis dicẽdi arte instructus, innumeras Antistitis huius dignissimi laudes, ac præsertim coram iis qui summa sapientia prædiii sint, satis abundè oratione cõplectatur? Verum singulari uestra humanitate fretus, ac eo magis, quod non tantum uos rei magnitudinis, sed & temporis angustiæ rationem habere credam, eo studio ad tanti Cardinalis laudes prædicandas me conuertam, ut quanquam in summo assiduoq; dolore uerser, tamen sperẽ eius obitum eò minus nobis fore luctuosum & acerbum, quò magis intelligemus, eum nec mortis telo confodi potuisse, nec ulla hominum obliuione posse deleri. Nam si is qui semper & alta spectauit, & æternam DEI immortalis sedem animo contemplatus, sese ad uerum decus, & gloriam meditandam, dies ac noctes euexit,

humanorumq́; præmiorum spe contempta, in rerum diuinarum contemplatione uersatus est, quo ad beatorum oras tutius, ac uelocius peruolaret, minimè & hominum interitu obrui, & obliuione posteritatis extingui potuit, profectò quanta ui animi possum, non uerebor, & fœlicissimam huius præclarissimi uiri memoriam concelebrare, & uobis corā, qui (quod eius conspectu orbati estis maximè affecti esse uidemini) proclamare, HIERONYMUM *Seripandum, & Sanctissimum, & Optimum Patrem, & Cardinalem maximum non esse mortis ui exhaustum, sed cùm Deorum cōmercio per beatum, tùm æterna immortaliq́; uita frui, id quod re ipsa ne præstem, an uerbis tantū pollicear, quæso pro uestra in uiros bonos pietate, obsecroq́;, ut attento libentiq́; animo paucis audiatis.*

HIERONYMVS *Seripandus patria Neapolitanus, parentibus clarissimis ortus, ubi primùm sapere cœpit, uirtutis amore inflammatus, totum se à pueris Augustinianæ Religioni deuouit, cui data sibi à parentibus uenia obligatus, eum suæ uitæ cursum traducebat, ut paucis post annis, ad eam suorum laborum frugem peruenerit, ut iam summis patribus charissimus esset, qui maximā de se spem cunctis admoueret, & ad uitæ sanctitatem colendam, & ad rerum diuinarum humanarúmq; disciplinam percipiendam; In tantam itaq; spem euectus Romam Aegidii Viterbiensis Cardinalis, tùm Eremitarum ordinis summi patris accitu proficiscitur, publicóq; Religionis certo munere aliquot dies functus, iam omni disciplinarū genere erud tus, Bononiam magistratus lauream suscepturus, quò docendi authoritatem consequeretur sese recepit, qua honorificentissimè cohonestatus summum almi huius cœnobii doctorem (Gabriele Veneto Ordinis magistro annuente) aliquot*

anno

annos egit. tùm Pauli tertii Pontificis Maximi iussu Romam reuersus, Vicarius Ordinis primùm, deinde summus Religionis Augustinianæ moderator, ac pater, miro cum omnium plausu creatus est. Quam prouinciam ubi sanctissimè integerriméq; gereret. eò uenit, ut eius fama uirtutéq; monitus Paulus, hominum (ut nostis) spectator elegantissimus, decreuerit eum Cardinalem inaugurare. Id quod præstaturum se re ipsa significasset, nisi nouitate quadam temporum impeditus, eum ea dignitate ornandum, in aliud tempus prorogare maluisset. Paucis post annis ordinis comitiis Bononiæ, eo imperante, habitis, ibi cùm sui præsentiam facere non potuisset, quod interim grauissima ualetudine opprimeretur, per procuratorem publicum egit, ut patres intelligerent, se summo ordinis magistratu sponte abdicasse, huiusq; seculi oneribus fessum, uelle se residuum uitæ tempus rerum diuinarum contemplationi accómodare. Quod quanquam omnes ægre ferrent, pleriq; autem admirarentur, potuisse illum in animum inducere, ut quæ alii magna ui retinerent, ipse sponte deponeret, quæq; alii plurimi facerent, ipse negligeret, assecutus, quietã uiuendi rationem nactus, multos ante annos Cæsari notus, quod eum de re sacra concionatem Neapoli audierat, sibiq; ob eam rem totum deuinxerat, ab inuictissimo Imperatore Aquilanæ Ecclesiæ Episcopus decernitur: Is recusans, quòd minimè honorum cupidus esset, nulláq; humanarum rerum spe teneretur, publica regni legatione qui fungeretur, habitus à ciuibus dignus, ad Imperatorem pro Reipub. salute legatus mittitur: ad quem ubi uenisset, non prius passus est Imperator ab eo sibi Reipub. ciuiumq; causam exponi, quàm Salernitano sacerdotio honestatus, Archiepiscopum se creari permitteret, quem Cæsaris

summam,

summam, & clementiam, & benignitatem (quòd frustra munus illud legationis obiisset, nisi eo sacerdotio se à Carolo uoluisset ornari) ubi renuere nequiuisset, iis ab Imperatore munificentissimo impetratis, quorum causa legatus fuerat missus, Salerni Archiepiscopus designatus, in Patriam reuertitur, ciuibusq; iis, quæ à Carolo afferret, expositis, Salernum profectus, illius Ecclesiæ eam curam in administranda Repub. sacra gessit, ut boni pastoris nomen suo sibi quodammodo iure uendicarit. Interim Dei Optimi Maximiq; munere superstes sanctissimus, ac beatissimus pater Pius Quartus, qui eo uno præcipuè uti uellet, quod eius ope speraret, se iam inclinatam, & propè iacentē Rempub. nostram erigere posse, decreuit re ipsa præstare, quod Paulus tertius factur ū se pollicitus erat. Romam igitur accersitus in sacrum Cardinalium conuentum maxima cum amplissimorum patrum lætitia cooptatur. inde ut uir idoneus, & qui ad maximas res gerendas uideretur accōmodatus, à Pontifice maximo probatus, ad publicam Religionis Christianæ Synodum Pontificiæ sedis authoritate, Legatus Tridentum mittitur. Quò cùm uenisset, à Collegis suis honestissimè exceptus, cùm nullis laboribus frangeretur, nullis oneribus premeretur, ita Reipub. Christianæ prouinciam suscepit, ut eo uno tanquā præcipuo, ac firmissimo Ecclesiæ fundamento, cùm tota res sacra niti uideretur, tùm defendenda componendaq; crederetur. Iam quæso Præstantissimi Bononienses nonne Præsul hic sanctissimus eam ob rem natus esse uidetur, ut peracto huius uitæ cursu sola uirtute duce, quam unam adamauit, amplexusq; est, iis se curis traderet, quibus, & aditus ad Cœlum pateret, & immortalitas uitæ compararetur? Nonnè in quam talem se gessit, ut non mortalium aliquis,

sed

sed ut castissimum omnium uirtutum exemplar cum se praestaret, qui & cunctis prodesset, & Christi causam pro uiribus tueretur, & cum diuo Paulo se quoq; profiteretur cursum consumasse, fidem seruasse, in reliquo sperare repositam esse sibi coronam iustitiae quam profectò reddet ei suisq; similibus in ea die iustus iudex? Quis non uideat solem hunc orbi terrarum illuxisse, ut esset quem sequeremur, & ad perennis gloriae palmam consequendam, & ad certissimam uitae caelestis in terris traducendae regulam comparandam? O' Cardinalem sapientissimum, imò religionis Christianae singulare decus, & ornamentum, quem non potuisti tuae sanctitatis uestigia sequutum ad diuinarum rerum amorem accendere, ad humanarumq; contemptum impellere? Quem non consuetudo suauissima delectauit, non morum probitas inflammauit, non sermonum castitas ad Deum piè colendum, religionemq; intrepide seruandam animauit? Verum mecum perpendite uiri Bononienses, quò Cardinalis sanctissimus progrediatur, eum sub extrema hora Christi militem agentem fortissiméq;, ac inuictissimè in mortis agone concertantem uideamus. Iam igitur cum uenisset summa dies, ac ineluctabile tempus senio ferè confectus, quòd aetas iam grauissimis oneribus, quae quotidie pro Religionis re tuenda sustinebat, impar esset, Legatum pro Concilio Tridenti fidissimum agens ardentissima febri corripitur, cognoscitq; acerbitate doloris optatissimam horam accessisse, quae eum, & carnis uinculo dissociaret, & corporis nexu dissolueret, et cum Christo Redemptore, quem unum perpetuò castissiméq; coluit copularet. Tùm urgentis morbi impetū eo animo se aspernari uisus est, ut dum febris feruore aestuaret, eiusq; ui paulatim consumeretur, non dolori succumberet, quem

summum

summum patiebatur, non mortem extimesceret quam præsentem cernebat, sed cum uirum se fortissimum in perferendis laboribus præstaret, diuináq; uirtute sustentaret, totum se, ut qui placidam uitam traducere uideretur, castissimis rerum diuinarum sermonibus, piisq; admonitionibus tradit, postulatq; ut hi quos charos habet sibi assideant, non ut infirmo sibi grauissiméq; laboranti obsequantur, sed ut laborum suorum testes amplissimi, secum humana fata negligant, mortisq; timore omisso, huius uitæ exitum commententur, & extremæ diei statum forti magnoq; animo ferant, Cœlumq; intueantur ad cuius spectaculum contemplandum cùm nunquam curuentur in terram, tùm semper altas mentes teneant, erigantq; se tanquã angelorum comites, ad Deum optimum maximum piè castéq; colendum, utq; qui solum diuina suspiciant, non se cùm ex hominum cõmercio emigrare oportet, uita extingui, animiq; uigore priuari arbitrentur, sed sperent credantq; iis qui piè sanctéq; uixerint, certum esse in cœlo, ac definitũ locum, ubi Beati æuo sempiterno fruantur, atq; id propter nullas ob sui desiderium lachrimas fundant, maximè uero in ea re sui erga illum beneuolentiam amoremq; declarare, ubi lætentur quòd ex uinculis huius corporis tanquam è caliginoso carcere euolauerit, breui in eam requiem euehendus, ubi nullus est labori locus, nullus morti impetus relictus, sed immortalitatis corona donatus, perpetuos beatæ uitæ fructus, è liberalissima, munificentissimàq; manu Dei percipiat: secũ præterea cœli ac terræ moderatori gratias agãt, qui maxima in eo adiuuando utatur clementia, quod cùm eum carceris huius custodia celeriter liberaret, tùm id & ea tempestate faceret, & in eo loco præcipuè, quo instaurandæ Religionis ergò uenisset. Hæc tanta

animi

animi charitate, tanta uultus hilaritate, tanto dicendi studio recensebat, ut non febris feruore maceratus, non ualetudinis ui iam propè exhaustus crederetur; sed quanquam in summo corporis dolore uersaretur, tamen dubios assidentes relinqueret, plus ne in morte uirtutis quam in ante acta uita ostenderet. Sapientissimè hunc modum, atq; suauissimè ubi suos & ad pietatem, & ad iustitiam, & ad Religionis Christianæ defensionem cohortatus esset, monuissetq;, ut terrestria tanquam inania, ac caduca bonorum simulacra contemnerent, cœlestia uerò, quorum spe nunquam fallerentur si ea se qui uoluissent, uehementer optarent, corporis nexu soluto cùm maximo omnium desiderio, incredibiliq; lachrimarum profluuio, septuaginta iam & sex annos natus è uita exiuit. O Seripandum Cardinalem Sanctissimum, uiuendiq;, ac moriendi exemplar tutissimum, num te extinctum collachrymemur, qui ut sydus fulgentissimum ad supremas beatorum oras euectum perpetuo nitore effulgeas? declarat tuus quam fœlicissimus ex hac uita discessus. num te morientem doleamus an nos ipsos potius tua sanctissima consuetudine destitutos elugeamus, ò præsidium Christianæ Religionis firmissimum, quibus uerbis tui memoriam recolamus, quibus officiis tua in Rempub. Christianam merita prædicemus? Utinam tuæ probitatis uestigia sequamur, lugendiq; loco assiduam operam demus, ut & tuorum uerborum uim memoriæ commendemus, & tuorum exemplorum sanctitatem re ipsa præstemus. Vos uero Eremitani Ordinis patres, ac fratres optimi ne flete HIERONYMUM Seripandum Cardinalem clarissimum, nunc magis quàm antea uestrum, ne uestram in eum pietatem lachrymis explete, sed ut eius, qui de uobis uestráq; Religione semper est bene-

meritus

meritus memores gratiſſimi, HIERONYMVM *Seripandum & funebri hac pompa, ut cœpiſtis, concelebrate, & literis, ac piis ſermonibus cōſecrate, ea ſpe ducti uos nō eo orbatos eſſe, qui ad meliores ſedes eſt elatus, ſed ſanctiſſimis eius precibus tutiſſimos factos, ob idq́ ad cœlum uobis aditum patere, ut quem in terris patrem optimum experti eſtis, eum in cœlis iam immortalitate donatum, ut alterum Auguſtinum, Religionisq́ ueſtræ conſeruatorem, ac Protectorem æternum colatis. Dixi.*



FINIS.

Permittente Reuerendo P. Inquiſitore.

